



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. Ex quo casuali homicidio incurratur Irregularitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

13. Respondeo. Ita videri Gibal. *loc. cit. dicto n. 13. sect. 4.* sed oppositum non esse improbabile, putat Castrop. *loc. cit. favetque Avila, d. 7. d. 10. dub. 8.* quoniam si est otium lege.

14. Inquires tertio. Si quis prohibitus sub excommunicatione lata sententia, ne celebret; ipse tamen celebret, unde, & peccet, & in excommunicationem incidat, inquires, inquam, etiam incurrat in irregularitatem?

15. Respondeo, nequaquam cum Gibal. *de irreg. c. 3. q. 2. n. 11.* incurrere, quia in illa celebratione incurrit excommunicationem, ergo prius intelligitur jam celebrasse, & deinde incidisse in excommunicationem. Non igitur celebravit cum excommunicatione. Quod si iterum celebret, tunc enim vero violabit Censuram, & irregularitatem effugere non poterit.

16. Inquires quarto. Si quis irreteus Censura exerceat actum Ordinis, quem habet, qui actus propter aliquam rationem sit nullus, incurrere in irregularitatem? Absolvat v. g. excommunicatus hominem, qui sine debito dolore ad Confessionem accessit, unde sacrilege, atque adeo nulliter absolutionem receperit; etiam hic irregularis? Idem inquiri potest, si idem excommunicatus consecret in aqua, vel in pane non triticeo, si baptizet sine aqua naturali, si Episcopus excommunicatus ordinet feminam, vel non baptizatum, &c.

17. Respondeo. Distinguit Suar. *de Censur. d. 11. sect. 3. n. 14. & 15.* Si Minister hic excommunicatus sciens actum fore invalidum, scilicet se gerat, proferet v. g. verba extrinsecæ, sed absque intentione faciendi verum actum, seu verum Sacramentum, non incurrit in irregularitatem, quia actus procedens à ficta intentione non dicitur ulus Ordinis. Si vero habeat intentionem verum actum, seu Sacramentum facendi, sed ex defectu materiae, vel alterius circumstantia Sacramentum non facit, probabilius putat in irregularitatem incurrere, quia tunc ille serius, ac voluntarius conatus faciendi actum, abusus Ordinis est. Scio Prætem, in *manus. de Irreg. d. 5. c. 4. §. 1. num. 18. fol. 507.* putare etiam in hoc secundo casu non incurrere irregularitatem, sed, quia illum sequi saltem tutius nolo, non est necesse in re rara amplius immorari.

18. Inquires quinto. Si Sacerdos excommunicatus toleratus ad petitionem Fidelium non habentium v. g. alium Sacerdotem, nisi hunc, celebret Sacram die festo, ut ita satisfaciatur præcepto, potestne licet tunc celebrare, & effugere incursum in irregularitatem? Supponimus autem ne is peccet, se posuisse in gratia saltem per contritionem.

19. Respondeo, Castrop. *de Cens. d. 2. p. 8. n. 4.* videtur concedere his verbis. Ex quo fit, si dies occurrat festivus, neque adsit alius Sacerdos, qui Missam populo faciat posse excommunicatum (utique toleratum) celebrare, quia præsumitur populus petere sacrificium necessarium pro præcepto audiendi Sacram exequendo, ut bene Navarr. Suar. Filliac. Bonacina. Hæc Castropalaus.

20. Inquires sexto. Si is, cui est interdictus ingressus in Ecclesiam, celebret, incurrere in irregularitatem? Respondeo, incurrer, quia adhuc tunc violat Censuram ut habes apud Suar. *de Censur. d. 35. sect. 4.* Leandr. *de Interd. d. 7. serè per totam*, alioque.

§. IV. Quis dispense in prædictis ex abusu Ordinis?

1. Irregularitatem contractam primo modo ex dictis §. 1. hoc est ex furtiva Ordinum susceptione, si tamen ea contrahitur, est dispensabilis ab Episcopo si non præcessit prohibitio excommunicationis. Id quo modo se habeat, dixi in *Traictat de Ord. cap. 12. à n. 34.* & videri potest Thesaurus de pœnis Ecclesiasticis p. 2. V. Ordo c. 7. præsertim §. Adverte secundo. Quando autem crimen est occultum, dispensari semper posse ab Episcopo sic concedente *sess. 24. c. 6. de Res. jam non ignoras.*

Paris 111.

2. Irregularitatem contractam secundo modo ex dictis in eodem §. 1. hoc est ex Ordine suscepto ab uxore, tunc solum potest Episcopus dispensare, quando sic ordinatus ingrederetur Religionem, mortua jam uxore, vel perpetuo divorzio celebrato.

3. Irregularitatem denique contractam ex usurpatione Ordinis, quem non habes, vel ex prava administratione Ordinis, quem habes, de qua dictum est §. 2. & 3. à solo Pontifice dispensatur, nisi, quando est occulta, quæ potest ab Episcopo ex dicto Tridentino.

CAPVT XV.

De Irregularitate ex occisione hominis.

§. I. Dispositio eorum, quæ in hoc capite sunt tractanda.

1. VT ex Ordine progrediamur, agam hinc primò, de homicidio casuali, præter intentionem, & quidem physicè commissio.

Secundo, de eodem casuali, sed moraliter commissio, id est orto ex mandato, consilio, &c. ad aliud, quam ad homicidium.

Tertio, de physicè, & quidem injustè commissio intentione, id est de homicidio voluntario.

Quarto, de eodem voluntariè commissio moraliter, per mandatum, consilium, &c.

Quinto, de mutilatione, quæ etiam ipsa causa Irregularitatis est.

Sexto, de occisione iustè patrata à Ministris iustitiæ.

Septimo, de eadem iustè patrata à militibus in bello.

Octavo, de eadem commissio in sui defensionem.

In re sexcentis nodis implexa lucem nobis præferat Lux æterna.

DE IRREGVLARITATE EX HOMICIDIO CASUALI.

§. II. Ex quonam casuali homicidio incurritur Irregularitas?

1. Homicidium, quod casuale appellamus ex eo, quod casu, id est præter intentionem occidentis fit, tribus contingere modis potest.

3. Primo, quando quis nolens occidere quemquam, nec de occisione cogitans, vel subdubitans, opus tamen ponit ex quo omnino per accidens sequitur occisio alicujus, præter suam intentionem. Solet afferri exemplum, ut, si famulum quis ducat secum ad venandum, & famulus casu decidat ab equo, moriaturque.

4. Secundo, quando quis opus ponit, ex quo non solet, nec semper, nec sæpè mors alterius sequi, interdum tamen sequitur; ipse autem mortem nullo modo intendit, sed illam prævidens, vel saltem de illa subdubitans, non adhibet remedia, ut non sequatur, vel, si talia remedia non ad sunt, non desistit ab opere, ut certè nunc ex iustitia desistere deberet. Exemplum solet afferri de eo, qui projicit lapides, & ligna in publicam viam, nullo signo dato, quo transeuntes sibi caveant, cum tamen advertat, vel certè de alicujus morte subdubitet, quamvis illam non intendat.

5. Tertio, quando quis opus ponit, ex quo solet sequi occisio, caput v. g. inimici graviter frangit, ictum gladii in pectus impingit, &c. animo tamen illum non occidendi, sed solum vulnerandi.

6. Primum ex his dicitur homicidium verè casuale. Secundum, dicitur mixtum à casuali, & voluntario. Tertium, verè voluntarium.

7. Iam de hoc tertio verè voluntario agemus §. 7. quando de homicidio voluntario disputabimus. De secundo hic est proprius agendi locus, nam de primo nihil dicendum erit, quia per omnes hoc lege Farin. *de homic. q. 126. n. 1. & 2.*

L I primo

primo loco dictum homicidium, quod verè, & ex quacumque parte est, casuale, nullam parit irregularitatem; ad hanc enim, quæ est ex delicto, incurrendam, requiritur culpa, quæ cum hinc absit, aberit, & pœna Irregularitatis, nam propterea plures apud Sayr. *de censl.* 7. c. 6. d. n. 29. advertunt, non affici irregularitate illum, qui, ut gravem lapidis ictum, quamvis joco inmissum declinet, casu in alium incidit, eumque præcipitavit, vel alio modo abique ipsius dolo occidit, quia tunc merè casualis fuit mors.

8. Porro homicidium mixtum, de quo in hoc §. agendum erit, quodque deinceps brevitate gratia appellamus casuale (nam primum appellabimus cum addito, verè casuale) vel contingit, dum positivè quis alicui Operi vacat, quod opus aliquando esse posset licitum, aliquando autem illicitum, vel contingit, dum nihil agit, seu dum negativè se habens, omittit aliquid agere ex qua omissione mors alicujus consequitur. Habe jam de omnibus his res Regulas, singulas singulis hujusmodi casibus respondentibus.

PRIMA REGULA.

Operi licito vacans.

9. Si rei licitæ vacas, v.g. si domum destruas, & omnem moralem diligentiam, ne quis offendatur, apponas, clamando v.g. ut quilibet sibi ab lapidum, lignorumque projectione caveat, offendatur tamen aliquis, ac præter tuam intentionem moritur, nec peccas, nec consequenter irregularitatem contrahis. Ita Lessl. l. 2. c. 9. d. 15. n. 103. Castrop. *de lege pœnali* l. 2. c. 14. com. 1. Gasp. Hurt. *de irreg.* d. 2. diff. 8. n. 29. Avil. *de censl.* p. 6. d. 8. sect. 1. dub. 1. Sa V. *irreg. ex deform. licita* num. 4. lo Præp. q. 5. de irreg. d. 11. n. 84. Ratio est manifesta, quia, ut modo dixi, ubi nulla culpa, nulla pœna.

10. Contra, si simili rei licitæ vacas, moralemque diligentiam non adhibeas, unde alicujus mors sequatur, & peccas, & irregularitatem contrahis, si tale periculum prævidisti, licet mortem illam non intenderis. Ratio est, quia opus illud licitum, illicitum tunc fit in materia homicidii, propter diligentiam non adhibitam. Vides discrimen? in priore casu periculum prævidisti, & sufficienter cavisti; hic vero prævidisti, & tamen nequam cavisti.

11. Rectè ergo Pontifex C. Presbyt. *de homic.* decrevit, incidisse in irregularitatem Presbyterum, qui puerum intuitu doctrinæ percussit in capite, si puer ex percussione, vel ob infirmitatem ex percussione contractam occubuerit, quia nimirum, ut notant DD. apud Barbos. in *Collect. ad hoc C. Presbyterum. De homicidio*, percussio fuit excessiva, & consequenter non fuit sufficienter cautum in modo percussione, licet alia verberare ob doctrinam sit res licita. Nam, si percussio (dicunt iidem) fuisset sine excessu, tum quoad numerum, tum quoad qualitatem ictuum, Presbyter nec homicida fuisset, nec irregularis. Eodem modo debes discurrere in similibus, quæ afferuntur in Sacris Canonibus, C. dilectus *de homic.*

12. Inquires. Si prævidi quidem, sed non cavi ex negligentia, seu inadvertentia in foro conscientie, & coram Deo, solum culpabili venialiter, erone tunc irregularis?

13. Respondeo. Non eris irregularis, quia, rectè Coninch. *de Sacr.* d. 18. dub. 9. n. 88. Diana p. 4. tr. 2. ref. 21. lo Præp. q. 5. de irreg. d. 10. n. 75. Castrop. *de censl.* d. 6. p. 15. §. 4. n. 1. aliis cit. ut sæpè dictum est, tanta pœna, quanta judicatur irregularitas ex delicto, de qua loquimur (irregularitas enim ex defectu levitatis non inducitur ex culpa, ut videbimus) non æquum est, ut à levi culpa, prodigatur.

14. Dixi (si prævidi quidem) si cum nulla ratione periculum prævideatur, nec subdubitatio occurrat de periculo, quamvis nulla diligentia appositâ fuerit, nullum peccatum admissum est, propter inculpabilem inadvertentiam, & consequenter nulla irregularitas. Vnde is esset ille casus dictus in prima Regula n. 1. Viris enim

humanas superat, ut quis diligentiam adhibeat ad vitandum periculum, de quo nihil in mentem venit, ut rectè Meroll. t. 1. d. 1. c. 2. n. 118.

15. At verò, si dubium tibi sese obtulit, vel suspicor, quamvis levis, de periculo alienæ mortis occurrat à decta tua actione, nec tamen tu curasti veritatem periculi indagare, peccasti profecto sive mortaliter, sive venialiter ad mensuram, ut n. 10. dicam, negligentie, quam posuisti; & quidem, si mortaliter, irregularis eris, si venialiter, non eris, ut jam dictum est.

Operi illicito vacans.

16. Sive opus, cui vacas, sit illicitum in quacunque materia, v.g. materia luxuriæ, furti, &c. sive etiam in materia homicidii, hoc est, sive vacas operi, cui est annexum periculum mortis, v.g. projectioni lapidum, explosioni bombardæ, &c. semper pari modo, ac in præcedentibus dictum est, excusaberis au irregularitatem, si non prævidisti, nec subdubitasti de homicidio, vel, si dubitasti, sufficienter per similem diligentiam, quam vid. diximus, præcavisti: Secus, non excusaberis.

17. Hanc regulam non omnes admittunt: probabilissima tamen est, & mihi certa in alia materia quacunque, & satis probabilis in materia homicidii. Ratio est eadem, quæ dicta est de opere licito, nam etiam hic, dum vacas operi, cuicumque illicito, homicidium modo voluntarium est, unde, nec culpabile, & consequenter, non inducens irregularitatem; neque etiam actionem esse quomodocunque illicitam, trahit mortem homicidii voluntarii, si, quoad eventum homicidii, sufficienter cautum sit.

18. Rectè ergo de illo, qui equos furtivè, à quibus, dum eos fur abduceret, mulier quædam contracta est, & abortum passa, statuit Pontifex C. *Quantum diff. p. furti* reum esse, verum, si ipsius voluntas perniciosa non agnosceretur (quia scilicet, ut notat Glossa, mulierem præmonuit, addamns nos, vel nullo modo de damno dubitavit) aliqua legali pœna affici non debere. Considerat Glianus, *de censl.* V. *Frater Minor*, qui bene ait, Fratrem Franciscanum, qui equitando calu puerum occidit, peccare quidem contra regulam suæ Religionis, sed irregularem non esse.

19. Contra, Rectè idem Pontifex, C. *continens* *de homicidio* cum narrasset, quosdam Clericos redeuntes à cultura vineæ lussisse hac conditione (quæ tunc erat in usu) ut victor uteretur victo pro equo, quendam autem victorem infulisse, quasi equitatum, in Diaconum victum, & sic à falce ipsiusmet Diaconi quædam præcinctus, mortale vulnus accepisse, & post octidies ex eo vulnere interisse, cum inquam, id Pontifex narrasset, rectè prohibet, ne Diaconus ascendat ad Sacerdotium, & ne in Diaconatu ministret, quia, ut notat Suar. *de censl.* d. 45. sect. 5. n. 3. Henr. l. 14. cap. 15. dicit, alii que Diaconus conficius consuetudinis infulendi, dum ludet, at falce præcinctus, non sufficienter cavet periculum alterius.

20. Illud tamen, quando vacas operi illicito in materia homicidii, est diligenter advertendum; quando enim, teste Verric. tr. 8. *quæst. mor.* 60. d. n. 6. tum opus est valde connexum cum periculo mortis alterius, semper irregularis ex homicidio voluntario pronuntiandus eris, quam præsumeris, voluisse malitiosè in causa illud homicidium, cum opus connexum periculo homicidii suscepisti. At cum opus connexum periculo homicidii, nec de eo subdubitasti, vel, si dubitasti, si sufficienter cavisti. Quod si aliquo tandem modo de periculo suspicatus es, eris irregularis, quia, vel debebas sufficienter periculum cavere, vel, si caveri non poterat, opus erat omnino ab illa actione desistere.

21. Atque in his eventibus, si certo scies, nullam in te adfuisse negligentiam gravem, seu nullam re mortalem culpam commisisse anoto scandalo, poteris te gratè, tanquam liberum ab irregularitate, quia præsumptio, excusare.

exterior veritatem non lædit. Ita Suar. de *Conf.* 45. *sect.* 5. num. 8. Contra vero, si exteriis iudicetur, nullam fuisse culpam, vel satis levem, tu tamen conscius sis, te graviter deliquisse, obligaberis, ut verum irregularem te gerere. Lege circa prædicta Doctores passim, scilicet Coninch. de *Sacr.* d. 18. dub. 9. n. 80. Sà V. *irreg. ex defect. licita.* Fill. tr. 20. c. 3. à n. 64. G. Hurt. de *irreg.* d. 2. diff. 8. à n. 20. Dian. p. 4. tr. 2. ref. 20. Io. Præp. 9. §. de *irreg.* dub. 10. n. 63. Gibal. de *irreg.* c. 4. q. 2. n. 8. alia exempla adducuntem.

22. Obijciat. Si opus illicitum, cui tu vacas, Irregularitatem ex se non affert, cur Pontifex in multis Sacris Textibus est ad sollicitus in examinando, an committens homicidium casuale, operam dederit rei licitæ, an illicitæ.

23. Respondeo, Quia sic melius sit iudicium de animo occidentis, nam adversus eum, qui operi illicito vacat, facilius præsumitur, seu colligitur voluntas occidendi, seu non cavendi homicidium, quam in eo, qui operi licito vacat. Adde, ejusmodi examen non raro fieri ad augendas, vel minuendas penas homicidii, & ad facilitatem reddendam, vel difficultiorem irregularitatis dispensationem. Aliam responsum affert Suar. l. c. §. 6. n. 3. cui adheret Coninch. l. c. d. 9. n. 87. aliam G. Hurt. de *irreg.* d. 2. diff. 8. n. 29. aliam Io. Præpositus, quos lege.

24. Ex prædictis duabus Regulis colligitur, quid dicendum de quibuscumque casibus specialibus.

De Venatione.

25. In quacumque Venatione. De hac Cleric. Venat. Vide Sayr. de *conf.* l. 7. cap. 6. n. 18. Avil. de *conf.* p. 7. d. 6. *sect.* 1. d. 1. *fine.* Farin. *frag. p. 2. V. irreg.* 541. sive Clericus (cui interdicta est Venatio clamosa) sive Laicus, si feram volens sagitta trajiceret, vel vulnerare sclopo, hominem insidius latentem occidat, non irregularis si per invincibilem ignorantiam ibi latere hominem, non advertat, nec suspicatus sit, & suspicatus si fecit, cautè se gessit (in hac voce, cautè, significat debitas cautelas modo in præcedentibus dictas) secus irregularis erit. Idem dic de eo, qui foveam, seu laqueum aptat ad feras, & casu, in illa impingens homo moriatur.

De Nutrientibus feras.

26. Idem sub eadem distinctione dic de nutrientibus feras, puta Leones, Vrfos, Canes, si quando mortem hæc bruta alicui afferant, erit enim irregularis, si ea non custodivit, ne nocerent: non eris, si cautè te gessisti. De his lege Avil. l. c. d. 7. Sayr. l. c. n. 19.

De Ludentibus.

27. Idem sub eadem distinctione, si lussisti. De hoc vide Maiolum de *irreg.* l. 5. cap. 48. §. 3. n. 2. Vgol. de *irreg.* c. 12. n. 2. *concl.* 34. aliosque *ibid.* citatos. Sive enim ludus sit licitus, ut pilæ, Trochi, &c. sive sit illicitus in alia materia, ut aleorum, Taxillorum, &c. sive sit illicitus in materia homicidii, qualis est hastiludium, tractatio gladiorum, Taurorum agitatio, non eris irregularis, secuta alicujus morte, si sufficienter morti consulueris, eris, si non consulueris, & modo dicto, cautelas non adhibueris. Debueras autem omnino ludum relinquere, si sufficienter providere, non poteras.

28. Si ad domum tuam vocares, vel ad admitteres ludentes, etiam ludis ordinariis, si eos cognoveris facile deventuros ad arma, rixasque, te fore irregularem, morte alicujus secuta, puto; quia tunc es cooperator homicidii.

29. Idem sub distinctione prædicta de ludente cum muliere gravida, & universaliter cum ludente, sive jocante quomodocumque cum alio. Si quis enim gravidam v. g. excitet ad choreas agendas, vel puellæ meticulousæ jocans repentinum incuriat timorem, unde mors sequatur concepti fetus animati, non eris immunis ab irregularitate, si malum suspicatus cautè te non gessisti, sed eris omnino liber. Ita Hent. cum aliis l. 14. cap. 15. num. 4.

Pars III.

quicquid sentiat Farin. l. c. n. 40. si culpate nihil es suspicatus, vel, si suspicatus gessisti te caute, &c.

30. Is, qui in ludo v. g. pilæ, dum adversarium propehit, ne pilam præcipiat, vel dum pilam jacit, puerum in aream profluentem, vel illac fortè transeuntem interficit. Is, qui dum cum aliis colluctatur, aliquem de more impellens, casu occidit. Is, qui dum nivis globos in adversarios per jocum projiciens, aliquem feriat lapide fortè in globo nivis latente, occidatque. Iniquam, regulariter ab irregularitate non afficiuntur, quia semper supponuntur nihil periculi advertisse: nam secus, afficerentur sine dubio, si debite non caverunt.

De Equitate.

31. Idem sub eadem distinctione dic de licitè, vel illicitè equitante in equo intractabili, ac feroci. Lege Avil. loc. cit.

De cadente ligna, & similibus.

32. Idem de cadente ligna, seu arborem, sive suam sive furtivè alienam, sive contra superioris prohibitionem: Idem de atrolentibus, vel pulsantibus Campanam. Lege Clarum, in *prax. crim. V. homic.* Farin. *rit. de hom.* 9. 126. Idem de projiciente ligna, lapides, tegulas, ut supra insinuatum est.

Dubium incidens de casu, quo plures incautè projiciunt lapides, vel similia.

33. Si plures lapides, plures sagittæ, plura similia à pluribus projiciantur incautè, & constet prætereuntem quempiam fuisse ex illis occisum, ignoretur vero ex cuius ictu, neminem fore irregularem, docet Avila, quia quilibet (ait) potest prudenter sibi persuadere, non fuisse suum lapidem, suam sagittam, &c. causam mortis.

34. Equidem id probò, si projicientes sint valde multi: at vero, si fuerint pauci, quales certè essent duo, vel tres, quilibet prudenter poterit judicare, vel saltem dubitare, suum lapidem fuisse causam homicidii; dubius autem de facto homicidio se debet tenere homicidam, atque ad o irregularem, ut supra cap. 5. num. 6. ex cap. Ad audientiam de homicidio dictum est.

35. Imò (ut rectè notat Castrop. de *Conf.* d. 6. p. 15. §. 6. n. 2.) quando sunt etiam valde plures, qui lapides propeccant, si quis ex illis propter peculiarem aliquam circumstantiam, dubitet, suum lapidem ictum fuisse causam mortis alterius, debet, propter eandem rationem dubii, se gerere, ut irregularem, eo modo, quo dixi l. c.

36. Nec te tamen prætereat, nos hæc loqui de projicientibus singulis pro se, nam si sit actio aliqua communis omnium, ut est in exercitu, quando omnes unico communique consensu projiciunt sagittas, v. g. in adversarios, dicemus infra §. 14. n. 1.

TERTIA REGULA.

Omittens aliquid agere, unde mors alteri sequatur.

37. Vel omittens aliquid, quod ex iustitia agere debes, vel quod ex charitate, quæ, quia diversum jus sortiuntur, separatim sunt explicanda.

38. Quoad prius, Omittens, seu non prohibens aliquid, ad quod tenebatur quis ex iustitia, si ex ea omissione sequatur mors alterius, tantum peccat, quanta est omissionis malitia, de qua te discretè locutus sum l. 6. in *Decr.* §. 1. à n. 8.

39. Supposita ergo gravitate peccati, sicuti *ibidem* cum omnibus dixi, incurri obligationem restitutionis, ita ego nunc tanquam probabilis d. co. incurri irregularitatem: licet enim Diana *part.* 4. *tratt.* 2. *refol.* 7. & 8. & p. 7. tr. 5. ref. 18. lege Tancrè d. 2. p. tr. 7. qu. mor. 17. latè. alios citans dicat, non incurri, quia in jure irregularitas videtur imposita solum cooperanti per influxum positivum ad homicidium, quæ certè sententia probabilis est; probabilis tamen est incurri, quod ego *ibidem* sequutus

sequutus sum, quia etiam cooperatio negativa est voluntaria, estque causa moralis homicidii, irregularitas autem adnectitur à jure homicidio injusto. Neque mirum, si in eodem jure de ejusmodi negativa cooperatione non fiat expressa mentio; sufficit enim, si in ea cooperatione invenitur tota ratio formalis malitiae injusti homicidii.

40. Nota autem, ut praedicta sententia Dianae sit probabilis, debere eam intelligi, quando merè negativè se quis habet: id quod latè, & clarè explicabimus suo loco infra §. 9.

41. Quoad posterius, semper quoad obligationem solum ex charitate, planior est irregularitatis excusatio; Omittens enim agere id, quod ex charitate quis tenetur, si ex hac omissione sequatur alterius mors, peccat quidem juxta gravitatem omissionis, ut dictum est: at vero idem in irregularitatem non incurrit, si homicidium non intendit. Ratio est, quia hæc irregularitas est poena, quare cum sit odiosa, solum intelligitur imposita propriè dicto homicidio, quod est illud, quod est propriè injustum, & non quod solum est contra charitatem, ut ibid. diximus.

42. Et rectè Henricus de irreg. c. 3. n. 4. in Gloss. liter. X. Circa Irregularitatem, inquit, homicidii oportet, illud esse contra Iustitiam, & idem censendum est de Irregularitate, & obligatione restitutionis, quæ restitutio solum debetur, quando contra Iustitiam peccatur. Addidi notanter illud (si homicidium non intendit) propter ea, quæ docui lib. 8 in Dec. tr. 3. c. 2. a. n. 9.

Denique de dubio homicidii casualis vide, quæ dixi in superioribus de homicidii dubio c. 5.

III. De homicidio casuali moraliter commisso, id est orto ex mandato, consilio, &c. datus ad aliud quam ad homicidium.

1. **S** mandatum, consilium, favor, & similia dentur ad occidendum, pertinent ad homicidium voluntarium, seu directè volitum, de qua re paulo post disputabimus: nunc autem, ubi de casuali homicidio sermo est, agimus de iis casibus, quando mors alicujus per accidens contingens, ortum habet à mandato, consilio, favore, &c. datus ad aliud, quam ad homicidium.

2. Porro, quicquid dicant Suar. de Cens. d. 45. sect. 2. n. 3. & 4. Filliuc. tr. 20. c. 4. n. 94. & alii, puto cum Io. Præposit. q. 5. de Irreg. dub. 10. n. 78. Diana p. 4. tr. 2. ref. 10. aliisque, similem doctrinam posse servari hic, quæ in homicidio casuali physice patrato servata est. Quare quicumque, præcipiendo, consulendo, hortando, vel alio quovis modo, inducit alium ad actum siquæ licitum, siue quocumque modo illicitum, qui actus cognoscitur conjungi cum periculo mortis, vel mutilationis, tunc sequuta morte, vel mutilatione, erit irregularis, quando non cavet sufficienter, ne sequeretur. At, si ejusmodi periculum amovisset prudenter censeatur, secutum homicidium ipsi non imputabitur, eundemque nulla irregularitas afficiet. Patet hæc regula ex supradictis. Censendus autem est sufficienter præcavisse, si homini prudenti, & cauto, si in talibus circumstantiis, si sub tali modo agendi actus mandetur, ut quilibet prudens judicare possit, cum Suar. Filliuc. II. c. Farin. Frag. p. 2. V. Irreg. n. 504. Sayr. de Cens. l. 7. c. 2. n. 2. homicidium nullum, mutilationem nullam fore patranda.

3. Hinc, si Ludimagister, etiam disciplinæ causa, jubet discipulum iratum, & audacem verberari, quamvis à viro cauto, & prudenti, non effugiet irregularitatem, si audax ille discipulus aliquem occidit. Simili modo, nec effugiet, qui puerum incautum mittat ad aquatum ad puteum non circumseptum, & qui præcipiat, vel det consilium homini inexperto, ut per tegulas, vel loca periculosa inambulet, quamvis prædictus moneat de periculo, proclametque, ut cautè faciat. Pari item modo, si suadeas, vel mandes, ut Petrus v. g. aliquid faciat, v. g. ut non fugiat, ut obstitat ri-

xanti, ut ineat duellum, unde prudenter periculum est occisionis alterius, irregularis eris, & quidem ex hoc si illam intendisti. Ratio prædictorum est, quia in his periculis prævidisti (ut supponimus) nec tamen suffragari illud præcavisti.

4. Hinc contra, si quid jubeas, vel mandes, unde nullum periculum mortis prudenter suspicari potest, unde si irregularitatem incurres, ut, si scienti ratum fuideris ex circumstantiis putans, hostes remissos meritis sese dedit, si navim vento percussam jubeas, potius in altum vela facere, quam juxta litus evidentem periculum in scopulos, vel in Syres impingenti, illum exponere. In his enim, & similibus casibus, si aliquid sequatur mors, merè per accidens sequetur, cum tu prudenter egeris, irregularitatem timere non debes.

5. Hinc denique, si consilium dedisti Ioanni, v. g. ut Furtum, vel Adulterium committeret, ex quo prævidbas, ipsum capite plectendum, vel, si consilium dedisti Bertæ v. g. ut per tectum ad adulterium committendum deambulet, unde cadens abijt in præceps, distinguendum ex dictis est. Nam, si sint tales circumstantiæ, ut hæc, & nunc illæ actiones sint conjunctæ cum probabili periculo mortis, irregularis eris, morte secuta, quia tunc peccas etiam contra iustitiam circa mortem homicidii in illo imprudenti consilio. Si secus, non eris, quia solum peccas contra alias virtutes, quod solum potuit docere Gibal. c. 4. de Irreg. 2. n. 19. dum docuit, quæ dictos irregulares non esse.

6. Quid autem resolves in sequentibus quantis casibus?

Primus Casus. Antonius mandavit Caesari, ut occideret Ioannem hominem satis debilem, sed eventum hostes, quamvis viribus Caesare inferior, occideret ipsum Caesarem, estne irregularis Antonius ex homicidio casuali commisso ex suo mandato?

7. Respondeo, Bonacina, de Cens. d. 7. num. 17. Henr. lib. 2. c. 16. num. 1. Diana p. 1. tr. 1. §. 17. alique probabiliter putant, non esse irregularem, quia iustitiam Antonius periculum Caesaris cavet, dum illum exponit Ioanni fortiorem. Confirmari potest ex mox dictis num. 10.

Navarrus Covar. apud Dian. loc. cit. Io. Præposit. de Conine, de Sac. d. 18. dub. 68. Avil. de Cens. p. 7. de §. 2. dub. 5. concl. 4. tamen probabiliter item, alique putant, esse irregularem, quia ipse, id est Antonius scire debebat, unde scivisse, vel saltem dubitare præsumimus, in ejusmodi occasionibus solere agnum, ad se deducendum, audaciam Leonis indere, quare sola cognitio imbecillitatis Ioannis eum excusare non poterit. Excusaretur tamen in foro conscientie, si nullus prorsus dubitasset de morte, vel, si mandavit, ut Ioannes occideretur eminus scilicet, vel sagitta, vel à tergo, ita ut prudenter omne periculum fuisset amovum judicaretur.

8. **Secundus Casus.** Antonius mandat Petro, ut occidat Titium Petro æqualem in viribus, vel eadem suadet, ut Duellum cum eodem Titio committat. Contingit autem, ut ipse Petrus, præter voluntatem, expectationemque Antonii occidatur, eritne Antonius irregularis?

9. Respondeo. Prima sententia quæ est Suar. quem citat, sequiturque Castropal. d. 6. de Cens. part. 1. §. 2. numero 5. citatque item Bonacina, & Cornubi. confirmat, atque ab hac non esse recedendum, siue speculativè, siue in praxi, docet Suarius. Loquitur autem de consilio, sed eadem certè est ratio de mandato vel similibus. Ratio est, inquit, quia absolute loquendo, tunc vacas rei illicitæ, & ex se periculosa, quia enim ratio periculosior tibi esse potest ad mortem quam æqualem aggredi, vel singulari certamine cum eodem pugnare.